

est semper, aliud sæpè; Sæpè solet similis filius esse patri; Sæpè qualis erat mater filia talis erat. Sæpè non procul à patrio stemmate poma cadunt, sæpè, inquam, in naturalibus, temperamento, humoribus, affectibus, viribus, studiis; non verò in spiritualibus utpote qui nascimur filii ira, Ephes. 2. v. 3. caro de carne Iohan. 3. vers. 6. que considerans ipse autor operis imperfecti, homil. 45. paulo ante medium tom. 2. sic sese explicat: Testimonia sunt de filiis mores parentum: Si enim pater fuerit bonus, & mater mala, aut è conuerso: filii interdum patrem sequuntur. interdum matrem. Si autem ambo fuerint æquales, fit quidem aliquando ut de bonis parentibus mali exeant filii, aut è conuerso, sed rarò: Declarat hoc autor simili: sicut cum extra regulam natura nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos non habens: sed quod cum pace dixero, hoc simile in Theologia satis multum claudicat.



## TERTIA PARS,

### Psalmi.

§. 34. In ea est votum ardentissimum de adventu Messiaë Eusebius verba intelligit de adventu primo, non malè, quia per Christi primum adventum ex Sion exiit lex, Psalm. 50. vers. 2. Psalm. 110. v. 2. Esa. 2. v. 4. Luc. 24. v. 47. Iesuitæ propter fabulam de Antichristo putant melius intelligi de adventu secundo abutentes loco Ioele 3. v. 16.

§. 35. Quis det, dabit? Hebreismus, utinam det: sic & Iudic. 9. v. 29. Hiob. 31. v. 5. Deut. 5. v. 29. Ierem. 9. v. 1. 2. Confer Hiob. 6, 8, 12. 19. 23. cap. 31. 51. Psalm. 52. v. 7. unde & Lutherus